

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput LVII. Quomodo eius dominus contulit centum peccatores.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Peccator
cum
convertitur
Christum
quasi a
cruce solvit.

Fili Dei vivi, suscipe hanc orationem, in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui sanctissimi corporis sustinuisti; et miserere mei, et omnibus peccatoribus, cunctisque fidelibus, tam vivis quam defunctis. » Dixitque iterum Dominus: « Peccator quousque in peccatis est, me velut in Cruce distentum vinculat; sed mox cum per pœnitentiam ad me convertitur, continuo me absolvit, et ego cum gratia mea et misericordia, quasi de Cruce solitus, totus super eum ruo, sicut olim super Joseph, cum me de Cruce solveret, cecidi, meque ipsum totum in potestatem ejus do, ut de me omnia quæ voluerit, facere possit. Quod si in peccatis usque ad mortem perseveraverit, justitia mea super eum potestatem habebit, quæ tunc eum secundum quod meruit, judicabit. »

CAPUT LVII.

QUOMODO EI DOMINUS CONTULIT CENTUM PECCATORES.

Dominus
charitatis
mero
ebrius.

Cum audiret legi in Evangelio : *Veniet Filius hominis in potestate magna et majestate,* (Luc. xxi. 27.)¹ perfusa spirituali lætitia, dixit ad Dominum: « Eia, bene venias. » Et Dominus: « Perpende quæ dicis: cum dicis bene, nota illud bonum quod ego sum, a quo omne bonum effluxit et effluet sine fine. Cum dicis *venias*, attende illum divinum amorem charitatis, quo ad animam venio, totus ebrius mero charitatis. » Tunc oravit Dominum pro omnibus qui essent in statu peccati, ut ipsos converteret; cui

1. Sic legitur: « *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* »

Dominus : « Ecce propter tuas preces centum convertam peccatores. »

CAPUT LVIII.

QUAM PARATUS SIT DEUS RECIPERE PECCATORES.

LABORANS aliquandiu gravi capitisi dolore, cum die quadam inter Missarum solemnia ipsum dolorem circa oblationem hostiae, cum eadem hostia sacrosancta Domino in laudem æternam offerret, protinus apparuit illi Dominus tenens in manibus suis delicatis circulum quemdam ligni aridi, circa quem rosas pulcherrimas connectere videbatur. Illa vero dum multum admiraretur quidnam hoc sibi vellet, quod Deus circa hoc aridum lignum tam floridas rosas annexeret, audivit Dominum dicentem : « Ecce per hoc quod arido huic ligno has vernantes rosas alligo, intelligas designari quod nullius unquam peccatoris cor ex peccatorum rubigine adeo aruit, si aliquem dolorem vel infirmitatem corporis, quantumvis etiam parvum, pertulerit tali intentione, quod pro amore et laude nominis mei, majorem libenter sustinere proponeret dolorem, si mihi complaceret, quin ipsa hora ex tali deliberatione revirescat, et gratiae misericordiae divinæ ex tunc jam capax efficiatur. »

« Item dico tibi, quod nullus est peccator adeo magnus, si vere pœnituerit, quin ipsa hora illi omnia peccata sua plene dimittam, ac cum tanta clementia et dulcedine Cor meum super eum reclino, ac sic nunquam peccasset. » Tunc illa : « Si ita est, quid est, dulcissime Deus, quod miser homo hoc minime sentit ? » Cui Dominus : « Ex eo est quod interiorem,

Quomodo
peccatoris
opera bona
revirescant.